

Melitae, mense Augusti recurrente

In insulis melitensibus, in medio Maris Mediterranei, nempe insula Melitae imprimis et Gauli, vulgo insula trium collium, vigent plures parochiae, videlicet portiones non parvae terreni habentes templum haud parvum cultui religioso addictum. Cura spiritualis incolarum ibi degentium commissa est presbytero qui saepe saepius omnes incolas novit nominaliter. Ipsi plenam fiduciam in hoc presbytero habentes (ab episcopo pro tempore delegato) illum tamquam verum amicum eorum et veluti eorum patrem considerant

Singulis paroeciis designatur Patronus, id est Sanctus aliquando, ipsa Beata Virgo Mater Salvatoris Christi Jesu, vel recoluntur mysteria Sanctissimae Trinitatis aut Jesu Salvatoris et Regis totius universi. Inter sanctos patronos Melitae, recoluntur Helena Constantini Magni Imperatoris Mater (in terra Birchircara), necnon Sanctus Georgius, (in civitate Qormi et Gauli) Sanctus Joseph et Sancta Catherina Alexandriae in Zejtun et Zurrieco. Beata Virgo Maria sub diversis titulis venerata, puta Stella Maris Sliemae, B.V.M. a Monte Carmeli in civitate Vallettae et alibi, Nativitas eius necnon eius Immaculata Conceptio in civitate Cospicuae, Sanctus Apostolus Andrea in Luca etc. Festum ad honorem et gloriam Sancti Patroni/ae magna cum pompa celebratur et quotannis veneratur et expectatur

Plures paroeciae festum celebrant recurrente mense Augusti praecipuus inter menses estivos

Celebrationes

Ipsa festivitas diversos aspectus praestat, uti religiosus, socialis, historicus, culturalis etc. omnino non incompatibiles. Imprimis incolae celebrationibus religiosis intersunt, imprimis ab illis divina mysteria colentes, audientes sermones de vita necnon virtutibus sancti patroni. Eorum vita proponitur uti exemplar nobis viatoribus. Pietas, fidelitas coniugalis, benignitas, amor proximi, patientiam, magnum valorem habentes, nobis hodiernis temporibus viventibus optimum praebent exemplum.

Templum in quo divina mysteria celebrantur, quam maxime interius adornatur. Inter celebrationes nominantur processiones sacras extra templum cum simulacro sancti patroni. Melitae extant statuae magna cum arte confectae, devotionem quoque excitantes. Non est his locus omnes et singulas describere.

Imperatricis Helenae statua in terra Birchircara

Omnino non erubesco scribere de Birchircarae patrona, Helena, Constantini Magni Mater, quae crucem Domini absconditam et in puteo juxta locum executionis, nempe crucifixionis, in odium fidei sepultam ab inimicis Fidei Christianorum fuit. Historia ecclesiastica de hac persona, nata Drepani plura imprimis de eius iuventute tacet. Attamen quod fecit, quando eius filius Constantinus Magnus, libertatem cultus aperte christianibus concessit, (A D 313) non praetermittitur. Non inaniter statua marmorea a Bolgi sculpta in Basilica Vaticana invenitur. Haec Sancta veneratur quoque in terra Birchircarae, quae iam ab anno 1402 cum templum potius parvum, uti paroecia Helenae dicatum, considerabatur. Anno 1630, Papa Urbanus VIII erexit **hic** primam Collegiatam insularum melitensium. Decretum papale "**Sacro Apostolatus Ministerio**" adhuc in archivio nostro conservatur, optime lingua latina manu

scriptum. Iuvat illud legere et voluntatem Summi Pontificis munitam privilegiis magni momenti prae oculis habere.

Festum Helenae recurrit die 18a eiusdem mensis Augusti. Attamen festum locum habet die Dominica sequenti. Processio cum simulacro ex ligneo vulgo **arznu** sculpta jam anno 1837, in solemnibus processione hora 8 00 a m praecedit missam solemnem. Salvator Psaila statuam Stae. Helenae amplectentem crucem Domini viriliter sculpsit. Imagines lapideae huius sanctae inveniuntur quoque ubique in aediculis, necnon domibus personarum hoc loco degentium. Birchircarenses longinque euntes uti emigrantes cultum huius sanctae secum contulerunt, puta Australia, America et Canada, ibique eius festum ut dicunt, adhuc celebrant, magno cum populi concursu etiam provenientibus ex diversis nationibus.

Hoc festum valorem sociale quoque habet. In casu nostro plures ex locis vicinioribus necnon ex insula Gaudi veniunt ut processionem cum statua Sanctae Helenae, extra templum cui intersunt canonici huic insigni Collegiatae addicti, videant et templum tam ornatum et eodem tempore devotum, visitent. Jam octo plus quam decem recurrunt lustra cum Summus Pontifex Pius XIII anno 1950, Collegiatam Helenianam in Basilicam Minorem cum omnibus privilegiis inhaerentibus, erexit. De facto insignia Basilicae uti tintinnabulum, in processione inveniuntur. Praesentia equidem amicorum et familiarium, non degentium in eodem loco, imprimis emigrantium, qui ferias praenotant tempore festivo eorum loci originis, maximum gaudium affert et amicitiam adauget et fovet.

Quoad aspectum culturale, qui certo non deest, nominantur non tantum musica sacra peculiaris, compositiones melitensium scriptorum, hymni sonis et cantu lingua vernaculari scripti, nonnumquam latina et italica uti in casu nostro, decorationes in vias publicas, emblemata aurea uti ornamenta gestantes, viae lychnis diversis coloribus et emblemata decorata, sonus campanarum, opera dicta pirotechnica, et multa alia accessoria. Musices studiosorum conventus non desunt et processioni magna cum pompa intersunt.

Haec omnia non omnibus eodem modo perplacent, attamen multum invenitur quod gaudium affert alicui qui bonum, pulchrum sancto modo, suave, dulce, novit sapere.

Bonum ceteroquin ex integra causa provenit, malum ex quocumque defectu.

Die 3a Augusti 2006
Melitensi

Antonius Mallia Borg ab insula

www.yleradio1.fi/nuntii
